

OBSERVATIO CRITICA IN OPUSCULUM SUBSEQUENS.

Hoc sequens opusculum non pro vero fetu magni S. A sermonem in discessu S. Mauri habitum agnoscat, sed aliis verbis proferat. Hinc etiam clarissimi Calmetius hoc opusculum S. Benedicto Anianensi abbati attribuit, cujus quidem ardens observantiae monasticae zelus maxime enituit, in scribenda Regularum monasticarum Concordia. Ut sit, antiquissimum est monasticae disciplinae monumentum, dignumque proin ut inter cunctis Holsteniani additamenta numeretur, cum eius antiquitatem satis superque probent tot doctorum virorum testimonia ad calcem opusculi appoſita.

ORDO MONASTICUS

S. P. BENEDICTO ATTRIBUTUS.

Qualiter fratribus in monasterio religiose ac studiose conversari, ac Domino militare oportet.

Imprimis nocturnis horis, cum ad opus divinum de lecto surrexerit frater, primum signum sibi sanctae crucis imponat, per invocationem sanctae Trinitatis; deinde dicit versum, *Domine, labia mea aperies*; postea psalmum: *Deus, in adiutorium*, cum *Gloria Patri*. Tunc provideat sibi frater corporeae necessitatum naturae, et sic ad oratorium festinet, psallendo psalmum: *Ad te, Domine, levavi animam*, usque ad finem, cum summa reverentia et cautela intrans, ne alios orantes impediatur: et profectus in locum congruum, effundat preces in conspectu Domini, magis corde quam ore: ita ut illius vox vicinior sit Deo quam sibi: et tunc referat gratias Deo, dicendo:

Gratias tibi ago, omnipotens Deus, qui me dignatus es in hac nocte custodire; deprecor immensam clementiam tuam, ut concedas mihi venturum diem sic peragere in tuo servitio cum humilitate et discretione, quatenus tibi complaceam. Amen.

Tunc omnes sint parati, stantes in loco suo in choro per ordinem, ut cum signum novissimum cessaverit, cum summa humilitate et honestate referant laudes Deo in conspectu angelorum, et si forte alicui frequens tussis aut phlegma evenerit ex pectore aut naribus, post dorsum projiciat, aut juxta latus. Caveat autem curiose ut infirmis fratribus non vertatur in nauseam; sed semper, quod spuitur, pedibus conculcetur: ut dum ad orationem curritur, vestimenta eorum non sordidentur. Quod omnibus locis eis observandum, sive sint in ecclesia, sive in refectorio, sive in portica, et in omni loco et conventu, ut, quod spuitur, pedibus conculcetur.

Post expletionem vero nocturnae laudis, in illo intervallo, summum silentium fiat, tam in voce quam in incessu, sive sono alicujus rei: ut liceat unicuique sine alterius inquietudine, peccata Domino confiteri, et veniam, et remissionem pro ipsis flendo postulare.

Cum vero inchoante aurora diei signum insonuerit, omnes festinent cum humilitate cordis, quasi ad Deum clamantes, ac misericordia sibi placabilem factum, matutinis laudibus prompta voluntate, vocum modulis, nec nimis producte, nec multum correpte, cum summa gravitate et honestate officium persolvere divinum: et hac autem matutina laude summum et praecipuum silentium fiat in orando vel loquendo.

Convenientes vero fratres ad primam, postquam completum fuerit ipsius officium, ante psalmum quinquagesimum, donec confessiones suas vicissim, pariter supplici voto pro se certatim orantes. Hoc expleto veniant omnes ad capitulum, et conversi ad orientem, salutent crucem et caeteris fratribus se undique humiliant, similiterque faciant in omni conventu. Post recitata nomina sanctorum, quorum festina crastina dies excipiet, surgentes pariter dicant versum: *Pretiosa*, quem sequatur oratio a priore; deinde versus: *Deus, in adiutorium*. Tribus vicibus, cum

B *Gloria Patri*. Surgentes iterum, dicant versum *Rrespice, Domine, in servos tuos*, cum *Gloria Patri*. Post hunc versum sequatur oratio a priore, *Dirigere et sanctificare, Domine*, etc.

Post haec, qui culpabilis est, veniam postulet, et secundum modum culpae, vindictam recipiat; et tam in clauſtro quam in quolibet conventu vel loco, veniam postulet frater, ante dominum abbatem, vel praepositum, aut decanum, aut quemlibet de senioribus: cum enim dixerit senior, *Quae est causa? frater ille qui veniam postulat, respondeat, Mea culpa, domine*; si vero aliud quodcumque dixerit, iudicetur exinde culpabilis. Postea dicatur a domino abbate vel caeteris, a quibus obedientia est facienda, quidquid est necessarium, et utile fuerit in communi monasterii: frater qui veniam postulat pro culpa, quanto plus se humiliat, et culpabilem asserit, tanto misericordius et levius a priore iudicetur, necesse est enim ut omnes negligentias nostras, vel cogitationum, vel linguarum, vel operis, in praesenti vita per humilem confessionem et humilitatem semper iudicemus, ut non post mortem nos reos faciant.

Surgentes a capitulo, atque ad opera exeuntes, simul omnes circumstantes dicant versum, *Deus, in adiutorium*, etc. *Gloria Patri*, et orationem dominicam, flectentes genua. Post orationem dominicam, dicat prior: *Adiutorium nostrum in nomine Domini*. Et respondentibus omnibus: *Qui fecit caelum et terram*, vadant omnes simul aut separatim ad opus injunctum sibi, custodientes silentium, decantent psalmos, aut *Pater noster*, bini aut singuli, juxta id quod congruum est, nihil aliud loquentes: nisi forte de ipsa arte necessarium fuerit dicere, quod dicatur caute.

Cum ad opus divinum horis canonicis auditum fuerit signum (sicut continet Regula), relinquunt statim quidquid in manibus est, sic tamen ut non pereat: et tunc convenient simul omnes ad osium oratorii, aut certe sint parati ad obedientiam, et dicant versum: *Benedictus es, Domine Deus, quia audivisti me, et consolatus es me*, tribus vicibus, priore incipiente, subjungentes, *Gloria Patri*, flectentes genua; oratione completa, surgant et dicat prior: *Misereatur nostri omnipotens Deus*, et respondeant omnes, *Amen*.

A calendis Octobris usque ad Pascha, tertia hora hoc faciant: a Pascha autem usque ad calend. Octobris, hoc hora sexta et nona fiat.

Omni tempore, in ecclesia summum silentium teneatur, excepto hoc quod ad aures Dei pertinet: et nullus ex fratribus alium puro nomine aliquando audeat appellare, sed (sicut decet) seniores minores, suos fratres nominent, juniores vero seniores suos nonnos, quod est patriarum reverentiae; abbas autem dominus et pater ab omnibus vocetur.

Juramentum aliud nemo proferat, nisi *crede mihi*, A sicut in Evangelio legimus Dominum Samaritanæ affirmasse : aut *certe*, aut *sane*.

Si frater increpetur a priore qualibet de causa, aut ab alio quolibet, etiam minore, statim cum summa velocitate in faciem suam cadens veniam postulet : quia hæc humilitas Deo exhibetur, non homini, et si ex corde fiat, indulgentiam promeretur.

Uportet autem ante omnia ut obedientes sibi invicem sint, et ipsa obedientia (si recto corde omnino Deo offeratur), ipsa est quæ ducit ad vitam : citius enim exauditur una oratio obedientis, quam decem mille contemnentis.

Cum vero sibi obviant fratres, ubique dicat junior seniori, *Benedicite* ; si junior sedeat, transeunte seniori, surgat ; et si senior voluerit sedere, junior non sedeat, nisi jussus. Si deprehensus fuerit frater aliquis invidiam, iram, aut tristitiam in corde retinere, statim corripitur, ut emendetur, et quot dies hoc confiteri neglexerit, tot dies poeniteat, et si humiliter responderit, poenitentiam postulaverit, cum v. nia judicetur.

Cum autem dominus abbas, aut certe aliquis ex senioribus, alicui ex fratribus aliquod opus præceperit, suscipiat junior cum summa honestate jubentis imperium, et sit auris parata ad audiendum, ac si divinitus dicatur, sint pedes recti, manus expeditæ ad faciendum opus, et humiliato capite dicat, *Benedicite*.

Egredientes de domo aut de conventu, dicant, *Benedicite*, etiamsi solus sit : quia Dominus ubique præsens est, unicuique postulanti paratus reddere rationem.

Si aliquid in cellario, vel refectorio, vel coquina, vel quolibet alio loco frater neglexerit, statim sine ulla mora currat ad veniam postulandam : et si talis est res quam neglexerit, manu teneat, in terram prostratus veniam postulando de eo quod egerit.

Caveant a sæculari et superfluo riso, et a frequenti locutione cum amicis sæcularibus, si tamen necesse fuerit. Ubi aliter esse non poterit, non loquatur quisquam solus cum sæculari, nisi presentibus et audientibus aliis fratribus, de quorum ille certa sit fiducia. Et hoc maxime in juvenibus observetur : impens enim quæ Deo servire cupit, sæcularium locutionem et conversationem contemnere et derelinquere debet.

Non vadant infra monasterium passim, ubicunque voluerint, nisi obedientia uniuscujusque exigat, vel licentiam impetraverint.

Nullam opus, etiamsi bonum videatur, sine jussione agere præsumant, nihil dare aut accipere, sine jussu abbatis : nec habere proprium, nisi quod abbas dederit aut permisit ; non debet aliud unicuique in cibo, et potu, vel vestimento dari, quam Regula præcipit : qui autem plus habere desiderat, occasionem contra se occulti hostis nostri excitare non pertimescit.

Nullus alteri aliquid præteritum vel turpe peccatum improprietate ; si senior viderit juniorem delinquere, corripiat eum inter se et ipsum solum, semel, secundo et tertio de levioribus tantum culpis : quia a gravioribus, si contingat aliquid perpetrari, statim secundum Regulam emendetur : et qui alium vult castigare, leviter sol dare studeat secundum qualitatem neglecti, quia sæpe fractura membri deterius frangitur, quæ incaute ligatur. Pro immundis vero cogitationibus, et nocivis vel ineptis locutionibus, semper ad confessionem recurratur : humiliter sibi invicem respondeant fratres.

Hora canonica, audito signo, cito ad orationem recurratur, et non contentant de aliquo : quod si contigerit, qui prius tacuerit sapientior reputetur.

Ante horam vel post horam, nihil cibi percipiant : exceptis infirmis et infantibus, quorum imbecillitas a priore consideranda est.

Non detrahat quis, aut detrahenti consentiat. Pa-

cem inter se seminent fratres, non discordiam sæcularium : fabulæ longe sint ab eis.

Statutis horis, non negligent opera manuum agere, quia virtus est animæ et corporis : cæteris autem horis, lectioni vacent : et si fieri poterit, in uno loco aut in claustris sedeant, ut invicem se videntes corripiantur, et sub silentio legant, et ne alius ad alium jungatur, nisi necessitas exposcat ; id ipsum tamen sine inquietudine alterius fiat. Æstivo tempore unusquisque ad proprium locum pergat, cum summa cautela, et sine alterius perturbatione aut legat aut dormiat.

Nullus ex fratribus suam aliquid dicat aut rem aliquam aut membrorum corporis, sed semper nostrum ; hoc solum oportet dicere proprium, mea culpa ; omnia quæ Deus donat nobis communia esse debent, excepto peccato, quia ex nostra fragilitate est.

Providendum magnopere est ut jussum domini abbatis de quacunque re impleatur sollicitè, quia hæc eadem obedientia, si recte perficitur, non illi ministratur qui præcipit, sed Deo ; et si forte negligatur (quod absit), qui deliquerit, cito recurrat ad indulgentiam postulandam.

Quando in choro ad psallendum stant, consona voce et corde psallant, et illi incipiant versum, qui præ cæteris utilius possint, ut ad primam vel secundam syllabam cæteri convenire possint pronuntiantes voce.

Ad horam vero refectionis post expletionem expectent in ecclesia psallentes in choro ; cum audierint cymbalum, ordinate et sine ullo strepitu, festinent lotis manibus introire refectorium, salutantes crucem, versis vultibus ad orientem, et sedeant omnes ad mensam, singuli ordine suo, cum omni silentio. Nullusque præsumat quidquam accipere cibi aut potus, ante dominum abbatem ; ipse autem abbas non tardet accipere. Cum autem accipiunt panem, dicant frater fratri, *Benedicite*, et respondeant : *Dominus*, et similiter faciant de potu, cum primam biberint. De cæteris pulmentis, quæ sunt in mensa, non est necesse amplius benedictionem petere.

Antequam incipiant cibum sumere, petat lector benedictionem, et incipiat legere, et nullius ibi vox audiat, nisi solius legentis, nisi forte pro ædificatione aliquid breviter dicatur. Postea vero quidquid pulmenti ex coquina ministratur, qui ministrat, a novissimo incipiat, et usque ad dominum abbatem ministrando perveniat, et tunc sonet cymbalum tacite, et dicant fratres : *Benedicite*, æqua voce, et producte. Data benedictione in communi, expectent (sicut, jam diximus) ut abbas prius accipiat, postea singuli dicentes : *Benedicite*.

Quando benedicant cibum, aut potum, aut aliud, non sedendo, sed stando benedicant : si autem cum talibus mixtum fuerit, cellarius facit modice signum ad ministrum, et statim surgant juvenuli ad miscendum, et lotus calices impleant potu aquæ mensura, et stent ordinati, sicut sunt conversi : tunc cellarius iterum sonet cymbalum tacite, et dicant fratres una voce, producte, *Benedicite*, et data benedictione a priore, frater junior, qui dat calicem in manu sedentis, caput inclinet humiliter : cum vero impletum fuerit opus miscendi, inclinet se in circuitu ad omnes fratres, sic quoque ad mensas suas. Poma autem et quælibet nascentia terræ, quæ cruda sunt, sive hora prandii, sive æqualiter cum alio cibo. In mensa, antequam fratres veniant, aut sedeant, a cellario unicuique fratri partiantur : et statim post alium cibum, illa ad mensam adjuncta comedantur. Quo expleto statim finiatur lectio, et surgentes a mensa dicto versu, sinister chorus exeat prior ordinate dexter vero posterior, novissime autem dominus abbas, psallentes psalmum, *Miserere mei, Deus, secundum*, etc., distincte et non festinante. Cum introierint oratorium, psallentes inclinent se usque ad *Gloriam* : ad *Gloriam* vero, flectunt genua, et post

orationem dominicam surgentes, vadunt cum silentio **A** vadant ad dormitorium, et dum ad proprium lectum secundum quod tempori congruit. frater accesserit, dum se collocat, dicat psalmum : *Deus, in adjutorium, totum Gloria, et postea dicat versum : Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis; et sic munit se signo sanctæ crucis, et dormiat in Domino. Amen*

Post vesperas autem, hora competenti facto signo omnes conveniant in capitulo, et legatur Scriptura quæ ædificet audientes, quantum hora permittit; finita lectione, surgant omnes pariter, et dominus dicat abbas : *Adjutorium nostrum in nomine Domini, et omnes respondeant : Qui fecit cælum et terram, et cum silentio et reverentia intrent ad completorium, et orent cum intentione mentis, et dent confessiones suas ad alterutrum, et sic incipiant completorium.*

Expleto vero officio, summum silentium teneant : et ore et corde sicut orationes secretæ, et recordationes peccatorum, cum gemitu et lacrymis, et fletu : sine suspirio, ita ut alteri nullus noceat. Tunc agat gratias Deo, ita referendo : *Gratias tibi ago, omnipotens æterne Deus, qui me per tuam sanctam misericordiam in hac die custodire dignatus es; deprecor immensam clementiam tuam, ut concedas mihi hanc noctem sine ullo peccato, aut impedimento Satanae, cum dulci et pudica requie pertransire, ut matutino veniente tempore pure et strenue surgens tibi Deo meo laudes referre valeam. Et sic cum magna cautela*

Ita vetus quoddam ms. Cassinense, cujus exemplar ab ipso originali extractum mihi communicavit R. P. Jacobus du Brevil, monachus S. Germani a Pratis : quod quidem ms. hujusmodi ordinationes S. Benedicto ascribit : quia repertæ sunt in fine Regulae quam S. Benedictus propriis manibus scripsit, et S. Mauro, cum ad Gallias eum mitteret, tradidit : quas D. Petrus Venerabilis nonus abbas monasterii Cluniacensis, cum apud majus monasterium Turonense in eadem Regula (quæ pro reliquis ibi servabatur) invenisset, rogavit sibi transmitti. Ita ms. Quod si ita sit, credendum est hujusmodi ordinationes valde esse antiquas. Et si non sint S. Benedicti, fuisse saltem antiquissimi nostræ Galliaæ cœnobii piæ et sanctas constitutiones, quas propterea Fr. Arnoldus Wion una cum Regula curavit imprimendas Venetiis, anno 1593 apud Juntas.

MONUMENTA QUÆDAM

S. P. BENEDICTI OPERIBUS ANNECTENDA.

ALBERICI DIACONI

SERMO IN SANCTAM SCHOLASTICAM.

PROLOGUS.

Tempore quo Justinus senior Romanæ reipublicæ **C** jura moderabatur, beatissimæque Joannes memoriæ summæ sedis et vita et doctrina pontifex dignissimus habebatur, sanctus vereque per omnia apostolicus Benedictus pater in sinibus Occidentis effulsit; cujus incomparabilem sanctitatem, virtutes magnificas, stupenda signa, ortus et occidens, meridies cum aquilone, miratur. Huic soror fuit nominis proprietate Scholastica, in schola Christi sub sancti Spiritus magisterio ab infantia tempore in sanctimoniali habitu conversata; femina quæ et jejuniis continuis, et orationibus crebris, et vigiliis indefessis, et compunctionis prærogativa, et lacrymarum gratia, earum inter quas ei conversari concessum est, nulli penitus visa est exstitisse secunda. Et ut ejus virtutes innumeras verbis claudam paucis-imis, Benedicto exstitit quam sanguine tam etiam sanctitate germana. Hæc igitur et moribus et pedibus secuta fratrem, ex voluntate et consensu ejusdem, in vicinia Casini montis stationem fluxit; ubi etiam, sicut in sequentibus

erit liquidum, vitam sanctissimam morte celeberrima consummavit. Studuit autem illuc veniens obviis fratrem precibus flagitare, quatenus ei de totius anni summa, diem saltem unam dignaretur concedere, in qua videlicet eum loco constituto adire, atque cum eo de fide, de spe, de Dei dilectione ac proximi confabulari liceret. Annuit piis germanæ petitionibus sanctus frater, locumque in ipso montis vergentis descensu, in quo ad honorem ejusdem virginis ecclesiam posterè fabricarunt, ad id negotium habilem judicavit; ad quem videlicet et virgini non minus esset laboriosus ascensus, et sibi a monasterio non multæ esset elongationis-descensus. Ad hunc igitur locum quoadusque præsens anima corpus rexit virgineum, et virgo annis singulis die constituta ascendit, et Benedictus choro semper comitatus discipulorum descendit. Dieque illa in rerum spiritualium sermocinatione consumpta, relictisque vergente sole eum gratiarum actione corporibus, illa ad cellam virginum, iste ad habitaculum monachorum rediit.

INCIPIIT SERMO.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile est regnum cælorum decem virginibus quæ accipientes lampadas suas exierunt obviam sponso et sponsæ : quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Et reliquæ. Matth. xxv, 1.

Audistis, fratres charissimi, cælorum regnum

decem virginibus, quæ, acceptis lampadibus, sponse et sponsæ exierunt obviam, comparatum. Audistis earumdem virginum alias quidem vitio fatuitatis inertes, alias vero prudentiæ virtute solertes. Audistis fatuæ, acceptis lampadibus, secum oleum non